

Marcialis⁸ cocus, ille consultor optimus, cuilibet parentes habenti dicens:
 Filius esto bonus. Nam, [si parens malus est, tu filius esto bonus] si parens
 bonus est, tu filius esto bonus et dilige, quia bonus est; et si parens malus
 est vel mala est, tu filius esto bonus, quia dicit idem Marcialis:⁹
 „Dilige, si bonus est, iusta pietate parentem.
 Si malus est, tolleres, filius esto bonus.“
 Ergo filius esto bonus, quia Katho⁴ iubet dicens: „Bonus esto.“ Nam ra-
 tionem subdit Katho dicens:
 „Sic bonus esto bonus, ne te mala dampna sequantur.“
 Tu ergo, Martine, filius esto bonus, quia iubet Katho:⁵
 „Fer matris imperium, cum verbis exit in iram.“
 Filius ergo esto bonus, si mater tua facultas arcium exit verbis examinato-
 rum vel arguencium quasi in iram, in moribus et obedientia te probando, vo-
 lens, ut esses filius bonus.
 Ut sis bonus, iubet Katho⁶ dicens: „Cum bonus ambula.“ Ut sis melior,
 suadet Aristoteles⁷ 9^o Ethicorum dicens: „In omnibus imitare meliores.“
 Ut sis optimus, audi Philosophum⁸ 5^o Ethicorum: „Optimus est ille, qui
 non solum utitur bonitate ad se, sed etiam ad alios,“ et talis dicitur⁹ „iustus,
 legalis.“
 Fac ergo primum, quia dicitur tibi: Filius esto bonus. Fac secundum,
 ut sis melior, quia dicit Alexander:¹⁰
 „Res bona, res melior.“
 Fac tertium, quia dicitur per eundem:
 „Res bona, res melior, <res> optima rerum.
 Ergo filius esto bonus, non malus, quia adhuc non incitatis, ne malorum
 secte commiscearis, sicut faciunt, prochdolor, multi, qui relicti sociis virtutum
 sociis nequiciarum coniunguntur. Quos retrahit Katho¹¹ dicens: „Cum bonis
 ambula,“ et auctor Astrolabi¹² dicens:
 „Infames fugiat tua conversatio semper
 et socio gaude te meliore frui,“
 quia „malus efficitur, qui sociatur malo,“ ut dicit auctor Rudimentorum,¹³
 Tu ergo filius esto bonus. Si prius, ut spero, fuisti bonus, adhuc filius esto
 bonus, et si, quod absit, unquam fuisti malus, iam filius esto bonus. Esto
 ergo bonus, ut donarium matris tue benignissime consequaris, que tibi merce-
 dis et premii infallibile medium per me proposuit, dicens in themate: Filius
 esto bonus.

In quibus verbis tria brevissime innuuntur: 1° facultatis benignitas allectiva, cum dicitur filius, 2° stabilitatis hortatio imperativa, cum dicitur esto, 3° utriusque bonitas perfectiva, cum dicitur bonus.

Filius ergo esto bonus, quia mater facultas arcium benigne te in gremium suum allicit, quia filios suos de omnibus mundi partibus in unum colligit dicens: „Ad me convenite, scolares caste vite,“ inquit, „sciencia vos inebriabo,¹⁴ lac potum vobis dabo¹⁵ cum affluentia,“ et collectos in mundum dispergit ad prolificandum partibus ceteris filios destinando. Unde et te, domine Martine, de partibus vocavit remotis, quia de Dalmacia, que Turcis immediate quasi est coniuncta. Ne tamen operibus eorum communices, dixit ad te: Filius esto bonus, matri tue fideliter adherendo et adversariis fortiter resistendo. Nam et nomen tuum profitetur, cum Martinus voceris. Martinus enim dicitur quasi *Martem tenens*, qui Mars est deus belli, eo quod bellis adversus vicia debes inyare, quia tibi dicitur *pugna propria*, ut sic matris gremio uniaris, quia nisi constans fueris, premium non consequeris. Et ideo dicitur imperative esto. Et hoc iubet Cato¹⁷ moralissimus dicens: „Constans esto“. Et quia neque filialis electio neque stabilitatis perfectio ad vitam proficit, cum potest esse filius et stabilis, sed in malo, ideo additur utriusque vera bonitas perfectiva, cum finaliter adiungitur bonus.

Filius esto bonus, et cum fueris filius bonus, meritum nostra facultas donarium non negabit, ymo dicet tibi: „Accipe¹⁸ gratis.“ Ut ergo iuxta consilium facultatis filius esto bonus et iuxta consilium Compti

„Filius esto Dei,“

quia subditur:

„celum bonus accipe gratis.“

Et quia spero, quod fuisti et eris filius bonus, ideo accipe gradum baccalarii, ut possis etc.

¹ Pseudo-Ovidius, *De conflictu Veris et Hiemis* v. 5 (PL 121, c. 983 A) ² Godefrid of Winchester, *Epigr.* 140 (ed. Wright II, p. 124) ³ *Ibidem*, v. 3—4 ⁴ *Catonis Disticha* I 11, 2 ⁵ *Catonis Disticha* IV 6, 2 ⁶ *Catonis Breves sententiae* 6 ⁷ Non inveni ⁸ Aristoteles, *Eth. Nic.* V 3, p. 1130 a 7 ⁹ *Ibidem* V 2, p. 1129 a 33 ¹⁰ Alexander de Villa Dei, *Doctrinale*, v. 486 ¹¹ *Catonis Breves sententiae* 6 ¹² Petrus Abaelardus, *Monita ad Astralabium*, v. 85—86 (PL 178, c. 1761 B) ¹³ Non inveni ¹⁴ Cf. 1. Cor. 3, 2 ¹⁵ Cf. Is. 11, 12 ¹⁷ *Catonis Disticha* I 7; cf. Hus, *Discens factus est sciens* (p. 43) ¹⁸ Non inveni